Clarissime vir,

Humanissimis TUIS, e patria ad me perscriptis, constituto diu per tertiana mala, quibus tota aestate pertinacissime torquebar, omnino respondere non potui. Veniam itaque habebis amico, TUIque amantissimo, qui non sua culpa fuit inhumanus, repetitis etiam concitatus. Desiderabas litteras ad nonnullos in Belgio doctos ac celebres homines; quas etiamsi dedissem parum TIBI prodesse noueram. Ipse iudicabis de supercilio, quo sunt illi, tot variis abundantes bonis. qui tamen a pristino cultu, humanitate et doctrina maiorum, longissime absunt. Graevii semper laudata mihi comitas, quamque e monumentis eius pernoscere poteram, hac parte minor est, quod simili patria nostra fastidio turpatur. Principes in Musei successore tranquillum, doctum et sincerum requirunt animum. sed qui vel commendantur a nostris, vel eximia dignitate moti locum ambiunt, neglecti sunt omnes. Goezius, quod in locum eundem soceri, theologis obstantibus, non posset succedere, Hildesiam abiit, cum Iesuitis luctaturus. Coburgenses de instauranda schola academica de integro consilia ineunt. quam et Ducissa dives et copiis abundans dotare dicitur. Sed nostra terra vix admittunt tot academias, quot Belgium foederatum, urbibus et vicis frequens. Vive amicissime mi, et quid ibi terrarum geratur quaeso scribe.

Tuus

G. Schubartus.

Jenae 4 Dec 1687.

A Monsieur

Monsieur Feurlin

a

Leiden